



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XXVIII. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Judas Thadæus Apostolus arctâ cum Christo & Maria cognatione junctus, utriusque in terris amore claruit, glorioso martyrio vitam & Sanctos pro Christi fide labores coronavit, ob quod in omni necessitate Patronus esse promeruit. *Hist. Eccle.* Cognatus Christi esse potes, si filius sis Mariæ.

S. Juda Apostole magne in magnis necessitatibus auxiliator, ora cognatos tuos Jesum & Mariam pro me in maxima omnium necessitate constituto, nempe ut ea mihi hora felix succedat, à qua tota pendebit æternitas. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus, centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, quantum possibile erit, placere & servire desidero. Hoc unum per pretiosissimum Jesu Filii tui sanguinem, per Immaculatam &c. f. 190.

Ad quod impetrandum: tacitè cum icone Deiparæ ea loquar, quæ affectus dabit.

Per te ò Virgo pax cœlestis donata est mundo; per te homines facti sunt Angeli per te homines appellati sunt amici, servi, & Filii DEI.

S. Epiph. de laud. V.

Quæstio: An belli, an pacis tempore plus à Fidelibus colatur Deiparæ?